



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

7 Vtrum liceat celebrare conceptionem dominæ nostræ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

sumptum præsumptione iuris, contra quam non admittitur probatio: sed ita est in proposito. ergo est verum matrimonium.

RESPON. Dicendum, q̄ spiritualis cognatio impedit matrimonium contrahendum, & dirimit iam contractum. Manifestum est autem, q̄ ex hoc, q̄ Christianus baptizavit Iudæam, contrahitur inter illos spiritualis cognatio, quia illa fit filia eius spiritualis, unde nullum est matrimonium sequens, etiam si expresse contrahat per verba de præsentibus, & etiam subsequatur carnalis copula.

¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta. Nam q̄ dictum est de præsumptione iuris, intelligendū est quando non interuenit aliquod impedimentum matrimonij.

QVAESTIO IIII.

DEINDE quaesitum est de virtutibus.

¶ Et primo quantum ad fidem, Vtrum. scilicet certitudo adhaesionis, quæ est in hæretico, vel malo catholico, sit actus ipsius fidei virtutis.

¶ Secundo, De quibusdam pertinentibus ad religionem, siue ad latrām.

¶ Tertio, De quibusdam pertinentibus ad charitatem.

ARTICVLVS VI.

*Vtrum certitudo adhaesionis in hæretico, vel malo catholico sit actus fidei virtutis.*

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur q̄ certitudo adhaesionis in hæretico, vel malo catholico sit actus fidei virtutis: quia secundum Philosophum. 2. Ethic. Tria sunt in anima, potentia, passio, & habitus: sed illa certitudo adhaesionis non potest attribui potentia, quia est meritoria, vel demeritoria: potentia autem non meretur, neque demeretur: similiter non potest pertinere ad passiones, quia passiones pertinent ad appetitum sensitivum, qui non potest extendi ad hoc, q̄ inhæreat veritati diuinæ. ergo relinquatur, q̄ pertineat ad aliquem habitum: sed habitus ad quem pertinet certitudo adhaesionis, est virtus fidei. ergo certitudo adhaesionis in hæretico, vel malo catholico est actus ipsius fidei.

¶ 2. Præter. Omne quod agit ad similitudinem alicuius, videtur agere in virtute illius: sed hæreticus per certitudinem adhaerens his, quæ credit, agit secundum similitudinem fidei, cui in tantum certitudinaliter inhæret, in quantum estimat se rectam fidem habere. ergo operatur in virtute fidei, & ita videtur, q̄ illa certitudo adhaesionis sit actus virtutis fidei.

¶ 3. Præter. Tota firmitas spiritualis edificij est a fide, secundum illud Matth. 7. Venerunt flumina, flauerunt veti, & non potuerunt mouere ea. Fundata. n. erat supra firmam petram, scilicet supra fidem: sed certitudo adhaesionis ad firmitatem spiritualē pertinet. ergo est actus virtutis fidei.

SED CONTRA. Quod non est, non potest agere: sed in hæretico, vel malo Christiano non est virtus fidei. ergo certitudo adhaesionis non potest in eis esse actus virtutis fidei.

RESPON. Dicendum, quod si aliquis id, quod est commune multis, accipiat vt proprium vni, necesse est, quod decipiatur. Certitudo autem adhaesionis non est propria virtutis fidei. Primo quidem, quia conuenit virtutibus intellectualibus, puta, sapientiæ, scientiæ, & intellectui. Secundo, quia conuenit non solum fidei veræ, sed etiam falsæ. Sicut enim est opinio vera, & falsa, ita &

A fides, nec minus firmiter inhæret alijs veritati, q̄ falsitati, vt Philosophus dicit in 7. Ethic. Tertio, quia certitudo inhaesionis non semper provenit ex aliquo habitu: sed ex proprio arbitrio aliquis potest assensum suum firmare ad aliqd verum, vel falsum antequam habeant habitum. Quarto, quia certitudo inhaesionis non solum cōpetit fidei formate, quæ est virtus, sed etiam fidei informi, quæ non est virtus. ¶ Dicendum est ergo, quod in hæretico certitudo inhaesionis est actus falsæ fidei, in malo autem catholico est actus fidei informis: & sic in neutro est actus virtutis fidei.

B AD PRIMVM ergo dicendum, q̄ diuisio illa datur de his quæ sunt in anima p̄ modum principij actus. Nā omnis operatio aīe aut est ex aliqua passione, aut ex aliquo habitu, aut ex pura potentia, hōi autem certitudo inhaesionis non potest esse ex passione. In malo aut catholico est ex habitu fidei informis: sed in hæretico est vel ex habitu peruerso fidei, vel ex pura potentia, sicut in principio anteq̄ habitum acquisiuerit: non enim potest dici q̄ peruersa fides sit habitus infusus. Quod autem dicitur q̄ potentia non meretur, neq; demeretur, si sic intelligatur, q̄ non meretur, neq; demeretur hoc ipso, quod habemus potentia, verum est. Si autem sic intelligatur, quod pura potentia non potest esse principium merendi, neque demerendi, verum est quantum ad meritum, quod non potest esse sine gratia. Non est autem verum quantum ad demeritum: alioquin ille qui a principio peccat, antequam acquirat habitum virtuosum, non demeretur.

C AD SECVNDVM dicendum, q̄ aliqd potest agere fm similitudinem alicuius dupliciter. Vno modo, fm similitudinem veram, & sic vere agit aliquo modo in virtute illius. Alio modo, fm similitudinem apparentem, & sic agit in apparentia virtutis illius, & ita est in proposito: unde in hæretico certitudo adhaesionis est actus fidei apparentis, non autem fidei veræ.

D AD TERTIVM dicendum, quod sicut ex fide vera dependet firmitas spiritualis edificij, ita etiam ex fide falsa procedit firmitas diabolici edificij.

QVAESTIO V.

DEINDE quantum ad actus latric, siue religionis quaesita sunt quatuor.

¶ Primo, De celebratione festorum, vtrum scilicet liceat celebrare festum conceptionis Domine nre.

¶ Secundo, De solutione officiorum, vtrum. scilicet clericus habens beneficium cum cura, vel sine cura existens in scholis teneatur dicere officium mortuorum.

¶ Tertio, De collatione beneficiorum, vtrum scilicet episcopus teneatur dare beneficium meliori.

¶ Quarto, De solutione decimarum, vtrum. scilicet pauper teneatur decimas dare diuiti sacerdoti.

ARTICVLVS VII.

*Vtrum liceat celebrare conceptionem Domine nostre.*

E AD PRIMVM sic proceditur. Videtur q̄ liceat celebrare cōceptionē Domine nostre. Si. n. non liceat, hoc non est nisi quia fuit concepta in originali peccato: sed non fuit cōcepta in originali peccato, vt videtur quia Beata Virgo facta est, vt speciali modo eēt habitaculū Dei. ergo debuit ad hoc specialiter preparari: non autem preparata est speciali-

ter secundum corpus, quod conceptū est ex sexuū cōmissione: nec ē quantum ad aīam, quia alij etiā leguntur sanctificati in utero, & ita relinquitur q̄ fuerit specialiter preparata per immunitatē ab originali peccato, & sic licet eius cōceptionē celebrare.

SED CONTRA est, quod hoc privilegium solius Christi dicitur esse, quod sine originali peccato est conceptus. nō ergo competit Beata Virgini, & ita eius conceptio non est celebranda.

RESPON. Dicendum, quod hic inducuntur duae qōnes. Vna principalis: altera accessoria, scilicet Beata Virgo fuerit cōcepta cum originali, quod oportet primo determinari. Est ergo cōsiderandum, q̄ vnus quisq; peccatum originale contrahit ex hoc quod fuit in Adam sūi feminale rōnem, vt Aug. dicit super Gese. ad literā. Omnes autē illi in Adā fuerūt sūi feminale rōnem, q̄ non solum ab eo carnē acceperunt, sed et secundum naturalē modum originis ab eo sunt propagati: sic autē processit ab Adam Beata Virgo, q̄a nata fuit per cōmissione sexuum, sicut & ceteri, & ideo cōcepta fuit in originali peccato, & includitur in vniuersitate illorum, de quo Apostolus dicit ad Rom. 5. In quo oēs peccauerūt, a qua vniuersitate solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit secundum feminale rōnem, alioquin si hoc alteri non conueniret q̄ Christo, non indigeret Christi redemptione: & ideo non tātum debemus dare matri, q̄ subtrahat aliqd̄ honori filij, q̄ est saluator omnium hominum, vt dicit Apostolus 1. ad Thi. 4. Quāuis autē beata Virgo in originali concepta fuerit, creditur tamen in utero fuisse sanctificata antequā nata. Et ideo circa celebrationē conceptionis eius diuersa cōsuetudo ecclesiarum inoleuit. Nā Romana ecclesia, & plurimae aliae con siderantes conceptionē Virginis in originali peccato fuisse, festum conceptionis non celebrant. Alij vero considerantes sanctificationē eius in utero, cuius tempus ignoratur, celebrant conceptionē: creditur enim q̄ cito post conceptionē, & aīa infusio nem fuerit sanctificata. Vnde illa celebritas non est referenda ad conceptionē rōne conceptionis, sed potius rōne sanctificationis. Sic ergo non est ideo celebranda cōceptio praedicta, quia fuerit sine peccato originali concepta. Nō enim per hoc tollitur quin fuerit specialius ceteris preparata, eo q̄ in ipsa sanctificatione copiosius ceteris munus gratiae accepit nō solū vt purgaretur a peccato originali, sed vt tota eius vita redderetur immunis ab oī peccato tam mortali, quā veniali, vt dicit Anselmus.

ARTICVLVS VIII.

*Vtrum clericus beneficiatus teneatur in scholis existens dicere officium mortuorum.*

Ar. specialis **C**IRCA secundum sic proceditur. Videtur q̄ clericus beneficiatus teneatur in scholis existens dicere officium mortuorum. Ille enim qui recipit bona temporalia alicuius, teneatur ei in spiritualibus recompen sare: sed iste clericus accipit bona quae fuerunt defunctorum, ergo teneatur pro eis dicere officium mortuorum.

SED CONTRA. Ille qui minus recipit, minus teneatur: sed clericus qui in scholis moratur, minus recipit quā alij qui in ecclesia residentiam faciunt, qui recipiunt quotidianas distributiones, ergo non teneatur dicere officium mortuorum sicut illi.

RESPON. Dicendum, q̄ clericus ex hoc ipso, q̄ est clericus, & praecipue in sacris ordinibus constitutus, teneatur dicere horas canonicas. Videntur, n. tales specialiter esse assumpti ad laudem diuinam, secundum illud Esa. 42. Omnem qui inuocat nomen meum, in laudem meam creati illum: sed in quantum est clericus beneficiatus in hac ecclesia, teneatur dicere officium mortuorum modum illius ecclesiae. Est ergo considerandum, q̄ officium mortuorum quandoque in ecclesia dicitur, sicut ordinarie pertinet ad ecclesiae officium, sicut in tota ecclesia in die animarum dicitur officium pro mortuis, & in qualibet ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo, puta, vt dicitur ordinate officium mortuorum si mel in septimana, vel qualitercumque alter secundum certum tempus: & ad huiusmodi officium mortuorum teneatur clericus beneficiatus in aliqua ecclesia, etiam in scholis existens, vt per hoc satisfaciatur mortuis, quorum recipit bona. Aliquando vero dicitur officium mortuorum in ecclesia extraordinarie, propter aliquā causam specialiter emergentem, puta, ad preces aliquis personae, vel propter aliquid huiusmodi. & ad huiusmodi officium mortuorum, non teneatur clericus existens in scholis.

Et per hoc patet responsio ad obiecla.

ARTICVLVS IX.

*Vtrum episcopus peccet dans beneficium bono, si praetermittat meliorem.*

**A**D TERTIUM sic proceditur. Videtur q̄ episcopus peccet dans beneficium bono, si praetermittat meliorem, quia qui facit contra cōscientiam, edificat ad gehennam: sed iste episcopus praetermittens meliorem, videtur facere contra conscientiam, ergo peccat mortaliter edificans ad gehennam.

SED CONTRA est, quod etiam secundum iura sufficit dare bono, si sit idoneus ad seruendum in ecclesia.

RESPON. Dicendum, q̄ aliquis potest dici melior dupliciter. Vno modo simpliciter, qui est sanctior plus habens de charitate. Alio modo dicitur aliquis melior quo ad aliquid. Contingit autem quādoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, q̄ beneficium percipiat, quia alius forte potest ecclesiam magis inuare, vel per consilium sapientiae, vel per auxilium potentiae, vel quia seruiuit in ecclesia. Nō ergo episcopus teneatur semper dare meliori simpliciter, sed teneatur dare meliori quo ad hoc: non enim potest esse, q̄ vnus praeferat alteri, nisi propter aliquam causam, quae si quidem pertineat ad honorē Dei, & vtilitatem ecclesiae, iam quantum ad hoc iste est melior. Si autē illa causa ad hoc nō pertineat, erit acceptio personarum, quae tanto est grauior, quāto in rebus diuinis committitur. Vnde super illud Iaco. 2. Tu sede hic bene & c. dicit glo. August. Si hanc distantiam sedendi, & standi ad honores ecclesiasticos referamus, nō est putandum leue esse peccatum in acceptione personarum habere sedē dñi gloriæ. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedē honoris ecclesiae, contempto paupere sanctiore, & instructiore? Et per hoc patet responsio ad obiecla.

ARTICVLVS X.

*Vtrum pauper teneatur decimas soluere diuiti sacerdoti.*

**A**D QUARTUM sic proceditur. Videtur q̄ pauper non teneatur decimas soluere diuiti sacerdoti. Ideo

D. 370.